

**VI. Schreiben des Dompropstes Nicolaus Huet an das
Domcapitel zu Hildesheim. (1383?) April 23. Straßburg.**

Reverendis viris et dominis decano totique capitulo ecclesie Hildensemensis dominis et amicis suis graciosis humili mei recommendacione premissa. Reverendissimi karissimique. Commisi dilecto meo Egehardo Moldener nonnulla statum meum concernencia et preposituram Hildensemsem vestris dilectionibus nomine meo referenda sub secreto tempore opportuno retinenda supplicans, ut eum benigne audire et dicendis per eum nomine meo fidem adhibere pleniorum et circa agenda deliberacionem non negligere celeriorem et litones ac subditos prepositure ac preposituram concernencia prefatumque Eghardum ac dominos Albertum Hermannum et Thidericum et alios meos familiares in eorum necessitatibus et utilitatibus mei intuitu pro recommendatis iugiter habere et efficaciter promovere ac defensare dignemini gracia singulari, prout de vestris benignitatis et benivolenciis confidenciam habeo singularem de singulis, que frequius pro me et propter me ac pro litonibus et subditis ac bonis et iuribus prepositure ac meis familiaribus benivole ac benifice egistis, quas valeo refero toto corde graciatur acciones. De male conmissis et neglectis per me quibuscumque circa ecclesiam circa capitulum circa personas singulares capituli affecto remissionem, quam et spero et firmiter credam me a vobis consecutum esse et de presenti consequi cordialiter et coram deo, nisi contrarium, quod non presumo, michi curaveritis seriose demandare ad conventum fratrum ordinis Carthusiensis Argentinensis, ubi ad presens de gracia, cum sim secularis, inter religiosos causa devocationis traho moram.

Conservet altissimus vos omnis et singulos vestrum.
Datum ipso die beati Georgii martiris meo sub sigillo.

Nicolaus Hoit prepositus Hildensemensis.

Copie im Copialsbuch des Hildesheimer Domcapitels,
XV Jahrh., im Staatsarchiv zu Hannover, p. 646.